

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord.  
Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam  
Christianam Exhibentes**

**Muenden, Christian**

**Helmaestadii, 1730**

**VD18 13487477**

**Caput Primum De Imagine Dei Et Foedere Operum.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**LIBER TERTIVS**  
DE  
**HOMINE AD IMAGINEM DEI**  
**CONDITO ET PER PECCATVM**  
**CORRVPTO.**

**CAPVT PRIMVM**  
DE  
**IMAGINE DEI ET FOEDERE**  
**OPERVM.**

§. I.

**Q**uaenam sint opera Dei *in regno gratiae*, tum demum recte intelligimus, quando prius cognitum nobis est, *in quo statu homo conditus* fit, et *in quo* hodie *nascatur*, atque persistat, quatenus et quamdiu expers est *gratiae diuinae*, nec in regno *gratiae constitutus*. Prior status dicitur *status integritatis*, vel *institutionis*, aut *innocentiae*; posterior vero, *status corruptionis*, vel *desstitutionis*, aut *irae* appellatur. Ex hoc enim statu homo peccator *in statum restitutio-*  
*nis*, aut *gratiae*, caelesti fauore ac virtute est transferendus.

§. II.

Hominem, qui ex anima, substantia spirituali ac immortali, intellectu et libera voluntate

luntate praedita , atque corpore organico, admiranda DEI potentia ex puluere terrae producto, constat, (*Matth. X. 28.*) ad *imaginem Dei* conditum esse , et quidem *masculum ac femellam*, scriptura sacra expressis verbis affirmat; (*Gen. I. 26. 27. IX. 6. Iac. III. 9.*) quae tamen etiam in statu integritatis aliquam mari prae femina praerogatiuum concedit.

### §. III.

In quo *imago Dei* constiterit, (1) ex *Dei ipsius*, speciatim eius, quod tribus diuinitatis personis commune est, et cuius homo particeps esse potest ac debet, (*Matth. V. 48. Luc. VI. 36.*) consideratione ; (2) ex *Christi* redemptoris, qui est *imago patris essentialis*, perfectione, qua, vt homo, in diebus carnis suae eminuit, quamue nos imitari iubemur; (3) ex *lege* diuina, quae est sanctitatis et iustitiae diuinae speculum ; et (4) ex *renouatione* ad *imaginem Dei* amissam, quae in credentibus in hac vita inchoatur, (*Eph. IV. 24. Col. III. 10.*) et in altera consummabitur, (*ps. XVII. 15. 1. Iob. III. 2.*) optime cognosci potest.

### §. IV.

Fuit itaque *imago Dei* nihil aliud , quam *ipsa gloria Dei* , quae in primis hominibus *exsplendescebat*: (*Rom. III. 23.*) siue *complexus virtutum et qualitatum*, in quibus homo con-

*conditus creatori suo conformis fuit , ac in primis sapientia et iustitia instructus , legem diuinam implere , et , vti non peccare , ita non mori potuit.*

## §. V.

Hasce virtutes in *anima* hominis potissimum quaerendas esse , et intellectum ac voluntatem eius exornasse , ipsa conuenientia cum Deo comprobat . Bona tamen *corporis* minime sunt praetermittenda , quod nec igneo splendore coruscans , nec a nostro corpore qua substantiam diuersum ; respectu qualitatum vero omnis vitii atque labis expers , et vsu mediorum , a Deo ordinatorum , sine molestia et infirmitate , in vita conseruatum , nec morbis , nec morti , quae peccatum sequitur , (*Rom. V.12.*) obnoxium fuit.

## §. VI.

Facultates animae , speciatim nobis considerandas , praestantissima perfectione , finita tamen , ornatas fuisse , evidenter probari potest . In *intellectu* enim , dotibus eximiis instructo , non tantum rerum naturalium , sed etiam diuinarum , sufficiens erat *scientia* , summa cum *sapientia* atque prudentia coniuncta ; (*Col. III. 10.*) reuelatione diuina , nec non experientia , procul dubio augenda . In *voluntate* , cuius perfectio in amore recte ordinato consistit , vera *sanctitas* et *iustitia* ,  
(*Eph.*

(*Eph. IV. 24.*) ita dominabatur, vt homo, cum Deo arctissime per amorem vnitus, diuina virtute cooperante, ad legem Dei ex ipius voluntate seruandam, voluntatis suae libertate recte vti potuerit, quae nec in nuda spontaneitate, nec in plenaria ad bonum et malum indifferentia, sed in indifferentia, ad bonum inclinante, et malo aduersante, ponenda est. Hinc etiam iustum *appetitus sensitui* regimen nulla prauorum motuum affectuumque *ataxia* et violentia turbatum fuit.

### §. VII.

Atque haec dona, primo homini concessa, reiecto *statu*, quem nonnulli fingunt, *purorum naturalium*, recte dicuntur *natura- lia*, quatenus cum natura hominis a prima eius origine, ad finem a Deo propositum, intime coniuncta, et per naturalem generacionem ad posteros propaganda fuerunt, licet hodie sint *supernaturalia*. Primo tamen homini alia non neganda sunt dona, quae *super- naturalia* dici possunt, singulari numinis fauori accepta vtique referenda. Natura autem humana persistente, dona illa naturalia vere *amissa esse*, scriptura docet, (*Rom. III. 23.*) et tristis experientia confirmat.

### §. VIII.

Quanta hominis in *statu integritatis felicitas*

*citas* fuerit, primum ex eo colligi potest, quod homo sufficientibus viribus praeditus, et secundum legem naturae, cordi suo inscriptam, *Deum recte colere*, ac summa veneratione, interna externaque, prosequi, et legi diuinæ, de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali, perfectissimum obsequium praestare potuerit. Quo in amore et obsequio Dei si persistisset, summa tranquillitate conscientiae animique laetitia fruiturus fuisset, absque morbo et morte in vitam longe feliciorem transiturus.

## §. IX.

Sic etiam societate cum *aliis hominibus* felicitas haec non imminuta fuisset, animis non liuore, inuidia et odio disiunctis, sed sinceri amoris vinculo colligatis, quod summa non potuit non conciliare vitae dulcedinem. Nec *civili*, et *herili* imperio, aut seruituti; sed tantum ordini, quem *status coniugalis* ac *paternus* infert, locus fuisset. *Matrimonium* enim in se spectatum, in statu integratatis iam institutum fuit, nec cum perfectione status illius pugnat. Ex procreatione autem sobolis singularia parentum ac liberorum officia sponte fluunt.

## §. X.

Denique non exigua felicitas primi hominis

nis posita fuit in *dominio*, quod in res crea-  
tas orbis huius inferioris, praesertim in ani-  
mantia bruta, Deus homini benignissime  
concessit. (*Gen. I. 26-28.*) Et, quamuis in  
illo dominio imaginem diuinam tantum  
constitisse minus recte affirmetur; singula-  
res tamen dominii illius effectus fuisse, ne-  
gari nequit. Particulare autem rerum do-  
minium, seu possessionem cum aliorum ex-  
clusione coniunctam, qualis hodie datur, sta-  
tus integratatis perfectio non admittit.

## §. XI.

Qui schemate foederis delectantur, quo,  
praeēunte scriptura sacra, (*Hof. VI. 7.*) recte  
vti possumus, modo partium contrahentium  
aequalitas, et mutua obligatio, libertas, atque  
utilitas remoueatur, foedus, quod in statu in-  
tegritatis inter Deum et homines intercessit,  
*foedus operum*, aut *legale* vocare solent: non  
eo quidem sensu, ac si homo operibus suis  
vitam aeternam promereri potuisset, quippe  
qui ad obedientiam legi praestandam iure  
astrictus fuit: sed, quod homo opera Deo  
grata praefastare, et legem recte accurateque  
implere potuerit; praemium tamen, non  
ex merito, sed ex gratia consecuturus.

## §. XII.

In hoc schemate distinctius considerari  
pos-

possunt (1) *partes contrahentes*, quae erant *Deus*, qui, supremus huius vniuersi dominus et legislator cum esset, praemium tamen homini, obedientiam praestituro, ex mera Φιλανθρωπίᾳ promisit; et *Adamus*, non tantum ut homo a Deo conditus, verum etiam ut caput totius generis humani considerandus: (2) *conditio foedere prescripta*, quae erat obedientia *legi diuinae*, cum naturali, tum positivae, aut hypotheticae, et in primis symbolicae de arbore scientiae boni et mali, qua paties, et qua gradus, perfectissime praestanda: (3) *promissio huic foederi operum addita*, de *ampliore felicitate* et beatitudine, post huius vitae curriculum, per modum praemij, ex mera gratia conferenda: et (4) *communatio de morte*, siue poena grauissima, inobedientiam sequentura, (*Gen. II. 17.*) quae, quicquid mortis nomine venire potest, complectitur, nihilo tamen minus iustissima dicenda est, si cum benignitate numinis, et grauitate delicti rite comparetur. *Sacramenta autem proprie sic dicta, et sacrificia*, in statu integratis locum non habitura fuissent.

## §. XIII.

Hoc foedus operum per legis transgressionem ex parte hominis violatum atque  
E abru-

abruptum fuit, et abrogatum dicitur: non, ac si lex naturalis, quae ex ipsa Dei sanctitate fluit, abrogari possit, aut aboleri; sed quod ab homine amplius seruari perfecte non possit. In locum itaque foederis operum successit *foedus gratiae*, vt homo id, quod legi nunc ob carnis infirmitatem est adūvarov, caelesti gratia consequeretur.

## §. XIV.

Felicitatis, qua homo in statu integritatis, seu foedere operum gauisus est, subinde simus memores, vt peccatum, quo primi nostri parentes in miseriae abyssum detrusi sunt, et nos quotidie miseriores reddimur, eo magis detestemur, et praesertim omnem fugiamus superbiam, tot tantisque calamitatibus, et tandem morti obnoxii. Tum vero diuinam agnoscamus et amplectamur gratiam, quae, vt imago Dei, culpa nostra amissa, in nobis restauraretur, foedus gratiae sanciuit, quod omni studio nobis est persequendum.

## TABVLA SYNOPTICA.

Statu hominis triplici praemissō, §. I. agitur in  
hoc capite  
I. De IMAGINE DEI, quae homini in statu integritatis concreata fuit, §. II-X. et quidem  
2) b-

- 1) hominem ad imaginem Dei conditum esse, probatur. §. II.
  - 2) fontes, ex quibus doctrina de imagine Dei hauriri queat, indicantur. §. III.
  - 3) ipsa imago Dei describitur, ubi
    - (1) definitio ponitur. §. IV.
    - (2) specialia quaedam momenta traduntur, nempe
      1. subiectum quo, 1. generatim. §. V.
      2. speciatim. §. VI.
    2. affectiones, naturalia fuisse dona imaginis diuinae, supernaturalibus augenda, et amissibilia. §. VII.
  - 4) felicitas hominis in primo illo statu demonstratur ex relatione eius
    1. ad Deum : hinc summa mentis tranquillitas. §. VIII.
    2. ad alios homines, in statu coniugali, et paterno. §. IX.
    3. ad res creatas orbis inferioris, dominio eius subiectas. §. X.
- II. De FOEDERE OPERVM §. XI-XIV. ubi foederis illius
1. vera explicatio. §. XI.
  2. yberior illustratio, qua partes contrahentes, conditionem, promissionem, et comminationem; quidue de sacramentis et sacrificiis in hoc foedere statuendum. §. XII.
  3. abrogatio, s. quo sensu foedus illud abrogatum dici possit. §. XIII.
  4. monita practica. §. XIV.